



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119177

§. 90. Nova Cæsareorum declaratio super Protestantium postulata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

cis, Gallisque Protestantium duritiem Sæc. XVII.
 exponeret, declarans, quod si hi A. C. 1646.
 novissime a Catholicis indulta rejicerent,
 frustra de concordia deinceps ageretur,
 cum salva conscientia, ac honore tam
 iniquis Protestantium postulatis con-
 sentire haud possent.

§. XC.

*Nova Cæsareorum declaratio super
 Protestantium postulata.*

Vacillabant ex Catholicis non pauci,
 qui aut Protestantium potentiam,
 aut Religionis, suarumque fortunarum,
 quas adhuc reliquas habuere, jacturam
 veriti, sub necessitatis publicæ obtentu
 Adversariis quilibet esse tribuendum
 suadebant: Hos tamen postmodum non
 nihil erexerat immota quorundam
 Præsulum constantia, inter quos præ-
 cipue Henricus Augustanæ Ecclesiæ
 Episcopus pridie sui obitus palam pro-
 fitebatur, quod suæ sententiæ, quam
 die decima quinta Novembris anni su-
 perioris manifestasset, ad extremum
 „usque halitum insistere vellet, proin-
 „in universos illos Tractatus, qui an-
 „te hac unquam, & usque in præsens
 „tempus, horam, & diem, ac etiam
 „nunc instituti sint, aut imposterum in-
 „stituendi essent, de punctis & mediis,
 „quæ

Sæc. XVII., quæ catholicæ Religioni, ejusque ad-
A. C. 1646., hærentibus in dogmatibus, jurisdic-
 „nibus, rebus, ac Personis contrarien-
 „tur, neque in universum, neque ex
 „parte consentire possit, debeat, aut
 „velit. „

Obiit autem laudatissimus hic Præ-
 sul Dilingæ die vigesima quinta Junii
 anno ætatis suæ septuagesimo septimo,
 Pontificatus vero Augustani quadrage-
 simo octavo. Hujus Viri utpote Reli-
 gionis studio flagrantissimi jacturam
 præcipue deplorabant Catholici, qui
 magnanimo defensore destituti omnem
 movebant lapidem, ut saltem summi
 Pontificis Nuntius, & Osnabrugensis
 Episcopus oppressam Catholicorum
 causam firmo pectore tuerentur, Gal-
 losque a noxio cum Suecis & Prote-
 stantibus fœdere abstractos ad opem
 Catholicis ferendam inducerent: Neu-
 ter deerat suis partibus, & quidem
 Osnabrugensis Episcopus gravibus op-
 pido verbis iterum iterumque Gallis
 exposuit, quam fatalis esset Catholicæ
 Religioni eorum cum Ecclesiæ hosti-
 bus conjunctio, cum hi Gallorum ope
 nuper tres urbes in Coloniensi Archi-
 episcopatu Catholicis eripuerint, Mo-
 nasteriensem, Paderbornensem, Ful-
 densem, Corbeiensem, Hirsfeldensem
 &c. devastarint, ubique hæresin publice
 inve-

invexerint, & Catholicis, Ecclesiis, & Sæc. XVII.
 monasteriis immensum damnum intulerint, quod absque Gallorum fœdere A. C. 1646.
 nunquam tentare potuissent: denique Gallis ob oculos posuit, quam graviter hujus conjunctionis causa, plurimi Archiepiscopatus, Episcopatus, dominia, ditiones, jura Catholicorum, & quod deterius est, tot animarum millia periclitentur &c. Verum Galli, ne fœderatorum amicitiam amitterent, divinæ fidei damna flocci habebant, & Catholicis quidem amplis verbis opem contra Protestantes pollicebantur, eodem vero halitu Protestantibus contra Catholicos auxilia promittebant, simulque Catholicis duntaxat centenariam, Protestantibus vero *perpetuam* transactionem super possessione bonorum Ecclesiasticorum suadebant, hos ad constanter postulandum, illos ad immoderate negandum incitabant, arguebant Cæsareos de nimia erga Protestantes indulgentia, ipsi vero nil intentatum relinquebant, ut Cæsareos, Catholicosque ad hanc necessitatem redigerent.

§. XCI.

*Ultima Catholicorum declaratio circa
 Protestantium postulata.*

Cum